

meum dolorem: hanc dedecoris egregiam hæ-  
reditatem liberis ac nepotibus relinquerem?  
his gloriarentur minores triumphorum titu-  
lis: his posteris ego prælucere ornamentis  
qui lumini maiorum perpetuas tenebras of-  
fudissem? CÆS. Iam non improbo quod fa-  
me detrimentum sis fortiter amolitus: quod  
hercle ipse quoque tunc faciendum putarem,  
verum id absolvas quibus de causis bellum  
ciuile suscitaueris perniciosę rei detestandus  
auctor, ne amplius ambitionis & inuidiæ po-  
stuleris. SyL. Ego vero tibi morem geram,  
efficiamque (vt spero) credas me culpæ nul-  
lius affinem fuisse. CÆS. Si minus absurda  
nec aliena fuerint a ratione: imprimis a te pe-  
to ne inuoluas me Dialecticorū ambagibus,  
neque per angulos Chrisippi decurras. SyL.  
Hęc nugamenta iam pridem garrientibus in  
Exhedra scolasticis reliquimus: nunc autem  
non diuersum ab eo sermonem audies, quę  
in senatu de republica faciebamus. CÆSAR.  
Perge igitur. SyL. Quum aliquot in diffici-  
limis bellis præsidio fuisset populo Roma-  
no, bellumque sociale grauissimum profliga-  
uissem, multisque alijs in rebus nostram rem-  
publicam pro mea virili parte iuuissem, vt